

A N A D V E R T I S E M E N T.

Viris Eruditis Saciæ Antiquitatis Studioſis Joannes Anif-
fonius. Præfectus Typographeo Regis Chriſtianiffimi.

COEPTA ſunt nuper a nobis Acta Conciliorum, cum E-
piſtolis Decretalibus & Conſtitutionibus Summorum
Pontificum Regiſ typis imprimi. Damus autem operam, ut
& elegantia characterum & chartæ nitore, priores reliquas
editiones hæc editio longe antecellat.

*Prodire enimvero voluit adeo utile Reipublicæ Chriſtianiæ
opus è ſuo Typographeo Chriſtianiffimus Rex LUDOVICUS
MAGNUS: juſſitque nulli in eam rem operæ vel ſumptui
parci. Optat ille nimirum, ut & legentium oculos illicitat
detineatque cum voluptate perfectio artis in eo opere: & po-
tiſſima ſumptuum parte in ſe ultro ſuſcepta, ſentiant in hoc
quoque genere Regiam munificentiam, tum viri Principes,
quos hiſce voluminibus muneraturus eſt: tum privatus quiſ-
que, non modo è ſubjectis ſibi, verum etiam ex univerſo
orbe Chriſtiano facta ſcilicet omnibus copia comparandæ hu-
jus editionis Regiæ multo minori pretio, quam quæ privati
cujuſquam Typographi, aut collatitiis ſocietatis ullius Ty-
pographica impenſis prodire poſſit in lucem.*

*Contulere certe annos jam complures in emendationem
Græci Latinique contextus, collectionemque diverſorum mo-
numentorum & variarum lectionum ex quamplurimis optimiſ-
que Mſſ. ad hanc editionem omnibus numeris abſolvendam, vi-
ri pereruditi: quibus ſi quis aliquid nihilominus indican-
dum putaverit, quod huic operi locupletando & perficiendo
proſit, ſcriptis ad nos literis ut id efficiat flagitamus; præ-
ſtituri viciffim, ut ejuſdem fiat, collatique ab eo beneficii
mentio perhonorifica in præfatione operi præſigenda. Pariſiſ,
v. Kal. Maias, anni MDCLXXXIX.*

London: Printed for Sam. Smith and Benj. Walford, Printers to
the Royal Society, at the Princes Arms in St. Paul's Church-Yard 1699.